

lent. Hi porrò suffitu etiamnum comitiales, fœminālque vulvæ strangulatu oppressas excitant. Poti verò aluum perturbant. Ceterum conchylium ipsum vñstum, eadem quæ purpura & buccinum efficit.

De Cochleis. Cap: xi.

COCHLE ATERRESTRIS stomacho vtilis est, & ægrè corrumpitur. Laudatissima Sardinia, Africana, Astypalæica, & quæ in Sicilia & Chio gignitur, neconon & quæ in Liguriæ Alpibus, pomatis, quasi opercularis, cognominata. Marina quoque stomacho idonea est, facileque aluo excernitur. Fluuatilis autem, virofa est. *Sylvestris* verò quæ vepribus frutetisque adhærescit, quāmque nonnulli sesilon aut seselita nominant, aluum stomachūmque turbat, & vomitiones excitat. Crematæ omnium testæ, calfaciendo vrendique, lepras, vitiligines ac dentes etiam extergendi vi pollent: oculorum verò cicatrices & albugines, maculas à sole contractas, ac visus hebetudines emendant, si totæ cum sua carne vñstæ & contritæ illinan-
tur. At crudæ cum suis calicibus impositæ, hydropi corum tumores discutiunt, neque priùs amouentur, quām omnis exhauriatur humor. Sed & podagricas inflammations leniunt, ac impactos etiam corpori aculeos similiter impositæ euocant: menses quoque

K. j.

tritæ & appositæ ciente. Porrò carnes earum tritæ, & cum myrrha ac thure illitæ, tum vulnera alia, tum maximè quæ nervis inflicta sunt conglutinant: tritæ in acetō, sanguinis è naribus eruptiones cohibent. Viuæ caro, & maximè Africæ, deuorata, stomachi dolores mitigat. Tota verò cum testa sua trita & cum viro ac myrrha exigua quantitate bibita, colicos dolores vesicaq; cruciatus sanat. Terrestris fluentem pilum glutinat & cohibet, si quis traiecta per carnem ipsius acus mucroni hærentem viscidum lentorem pilo admouerit.

De Canceris.

CAP. XII.

CANCERORVM fluuiatilium exustorum cinis, dum cochlearium mensura cum gentianæ radicis cochleario uno ac vino triduo potus, à cane rabioso demorsis euidenter opitulatur. Ex melle verò cocto, rimas pedum sedisque, perniones & carcinomata lenit. Triti crudi, potique ex asinino lacte, contra serpentium phalangiorūmque morsus & scorionum iætus auxiliantur. Decocti autem & ex iure suo sumpti, phthifificis prosunt, iisque qui leporem marinam hauerint. Triti cum oīmo & admotis scorpiones necant. Possunt eadem marini, sed in pote quam illi efficacia.

De

De Scorpione terrestri.

CAP. XIII.

TERRESTRIS scorpio crudus, tritus & impositus, sua plaga remedium est: estur quoque tostus in eundem usum.

De Scorpione marino.

CAP. XIV.

Marini scorpionis fel conuenit ad oculorum suffusiones, albugines & hebetudines.

De Dracone marino.

CAP. XV.

DRACO marinus exectus & impositus, dictus spinæ suæ qua ferit medela est.

De Scolopendra.

CAP. XVI.

SCOLOPENDRA marina in oleo decolorata & peruncta, pilos detrahit: contactu vero, pruritus excitat.

De Torpedine.

CAP. XVII.

TORPEDO marina in diutinis capitis doloribus imposta, doloris vehementiam mulcit. Eadem sedem eversam proceduamve coercet.

De Vipera.

CAP. XVIII.

VIPERA caro cocta & in cibo sumpta, claritatem oculis afferit, ad neruorum vitia proficit, incrementisque strumas re-primit. Detracta autem cute, caput & caudam, quoniam carné vacant, amputari oportet. Fabulosum enim est quod præcipitur, ut extremarum partium certa vtrinque men-

K. ij.

sura præcidatur. Reliquum verò [exemptis interaneis] corpus elotum & in frusta se-
ctum, ex oleo & vino cum salis exiguo & a-
metho discoquitur. Aiunt porrò iis qui vi-
perinas carnes esitauerint, pediculos pro-
creari: quod falsum est. Insuper verò refe-
runt nonnulli, qui iis vescantur longam se-
nectutem adipisci. Sal ex iis ipsis ad eadem
conficitur, sed non est perinde efficax. Viua
autem viperæ in ollam nouam demittitur,
adiiciunturque salis triti caricarūmque iti-
dem tritarum ana sextarij singuli, mellis
cyathi viij. mox ollæ operculum luto oblini-
tur. Sic ea in fornace torrentur, donec sal in
carbones redigatur. Is postea ad læuorem
tritus reconditur: ac interdum quò iucun-
diùs ori sapiat, spica nardi aut folij seu ma-
labathri momentum immiscetur.

De Anguine senecta. CAP. xix.

Anguinæ vernationis membrana in vi-
no si decocta fuerit, dolori quidem aurium
infusa: dentium verò doloribus collutione,
auxilio est. Miscetur & ipsa in oculorum
medicamenta, sed præcipue quæ viperæ ma-
ris est.

De Lepore marino. CAP. xx.

L EPOS marinus loliginis paruæ similis
est. Is tritus tum per se, tum cum vrtica
[marina] adhibitus, deglabrati vim obtinet.

De